DE

LUCRETII

METAPHYSICA ET MORALI DOCTRINA

DE

LUCRETII

METAPHYSICA ET MORALI DOCTRINA

7691.—Paris, imprimerie de Guiraudet et Jouaust,
Rue Saint-Honoré, 338.

DE
LUCRETII
METAPHYSICA ET MORALI DOCTRINA

DISSERUIT

Édouard

E. DE SUCKAU

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS, IN FACULTATE
PARISIENSI JAM LICENTIATUS

....Terrorem animi tenebrasque necesse est
Non radiei solis neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species ratioque.
(I, 147-149; II, 58-60; III, 91-93; VI, 38-40.

PARISIIS
APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA DES GRÈS, 7

1857

ILLUSTRISSIMO ET DOCTISSIMO

C. B. HASE

IN DULCISSIMÆ CLIENTELÆ MEMORIAM

GRATI ANIMI PIGNUS

PRÆFATIO

Pervolventi mihi morales Senecæ ad Lucilium epistolas mirum videbatur quod acerrimus ille stoicæ disciplinæ defensor sæpenumero Epicurum potius quam Zenonem in testimonium doctrinæ suæ vocaret, atque ex illius potius quam ex hujus libris quasi consulto has sententias excerperet, quas discipulo suo velut animi pabulum traderet, quotidianum monitoris debitum exsoluturus. Inde mihi magna dubitatio utrum Seneca, nomine stoicus, re stoicorum disciplinæ incertam fidem adhiberet, an minor quam vulgo dicitur inter Epicuri et Zenonis doctrinam repugnantia vere sit.

Equidem non ignorabam Senecam nullius magistri in verba jurare, quippe qui profiteatur « se non sequi omnino priores », sed « sibi permittat et invenire aliquid et mutare, et relinquere » (1). Quod autem se cuiquam philosopho non emancipaverit, quis neget Senecam in libris suis, quam multi sunt, stoicum agere et adversas Epicuro partes sustinere?

Placuit igitur ipsum interrogare quare ad alienam auctoritatem confugeret et quid inter se et Epicuri discipulos commune esse putaret. Ita mihi fuit diversis locis responsum :

« Potest fieri ut me interroges quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quam nostrorum. Quid est tamen quare tu istas Epicuri voces putes esse, non publicas (2)? »

« Epicurus, inquis, dixit: Quid tibi cum alieno? Quod

(1) Seneca, ep. 80, init. Cf. ep. 21.

(2) Seneca, ep. 8.

verum est meum est. Perseverabo Epicurum tibi ingerere, ut isti, qui in verba jurant, nec quid dicatur æstimant, sed a quo, sciant quæ optima sunt esse communia (1). »

« Epicuri est, aut Metrodori, aut alicujus ex ista officina. Et quid interest quis dixerit? Omnibus dixit (2). »

« Quis hoc, inquis? Tanquam nescias cui imperem! Epicurus. Sed idem hoc omnes ex omni domo conclamabunt peripatetici, academici, stoici, cynici (3). »

« Ejus modi vocibus referta sunt carmina, refertæ historiæ. Itaque nolo illas Epicuri esse existimes; publicæ sunt, et maxime nostræ. Sed illi magis annotantur, quia raræ interim interveniunt, quia inexpectatæ, quia mirum est fortiter aliquid dici ab homine mollitiam professo (4). »

« Has voces non est quod Epicuri esse judices, publicæ sunt... Eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro ut istis qui ad illa confugiunt, spe mala inducti, qui velamentum ipsos vitiorum suorum habituros existimant, probem, quocumque ierint, honeste esse vivendum (5) »

Ita loquentis verba si recte interpretemur, nonne pronuntiare videtur Seneca duas esse diversissimas in Epicuri doctrina partes : unam omnibus philosophis communem, quæ te ipsa prudenter utentem ad bene beateque vivendum ducat; alteram autem quæ te, ni caveas ac utriusque discrimen facias, temere ipsi confidentem a vero bonoque amoveat; atque ideo tibi, quum « istos hortulos adieris quibus inscriptum : Hospes, hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est! » non cæco nominis horrore aut amore fugiendum aut

(1) Ibid., ep. 12.
(2) Ibid., ep. 14.
(3) Ibid., ep. 29.
(4) Ibid., ep. 33.
(5) Ibid., ep. 21.

intrandum; sed ad domicilii istius custodem fortiter eundum, ut quidquid præcipiat vel roget recte scias, atque eum, si opus est, dividere sententiam jubeas, pro eo quod probes secuturus (1).

Seneca ergo auctore et duce, quid veri falsique, quid boni malique, in doctrina Epicuri, qualem apud Romanos interpretatus est Lucretius, et perquirere et distinguere mihi visum est, cogitanti maximi esse momenti, ut ait Lucilii philosophus, ne eam quæ nobis aliqua parte prodesse queat totam repudiemus doctrinam, neque eamdem, aliqua recti specie decepti, imprudenter totam amplectamur.

Sic non mihi mens est quidquid de Lucretii poemate dici possit in hac mea dissertatione includere. Quam multæ sint artis (2) carmina alter (3) multa arte exposuit; quibus a fontibus poeta hauserit, quas imitationes sui ab Augusti ætate vel ad nostram suscitarit, quantum linguam latinam ditaverit, idem alter tam distincte, tam perfecte expressit, ut nihil quod adjiciatur relictum.

Hoc solum, quod doctissimus et elegantissimus Sorbonnensis professor mire inchoavit, sed non perficere dignatus est, attentius tractare in animo habui, id est quid in philosophi doctrina laudandum atque veluti proprium nobis vindicare, quid autem vituperandum et velut alienum rejicere debeamus perquirere. Hic est unus laboris mei propositus finis Quem ut melius attingam, diversas doctrinæ partes prius sincere expositas volui quam de singulis judicium feram.

Sic in prima parte, quæ expositio dicitur, Lucretium ipsum causam suam quasi agentem inducam; in altera, quæ

(1) Seneca, ep. 21.
(2) Cicero, ad Guint. fratr., II, 12.
(3) M. Patin, Cours professé à la Sorbonne, 1856-1857.

dicitur critica, quantum inter se repugnent Epicureæ doctrinæ initium et finis monstrare tentabo

---

Haud operæ pretium est ibi referre longam philosophorum et scriptorum seriem quos de Epicurea doctrina consultos volui. Qui enim omnes, tum veteres, tum recentiores, lectoris memoriæ facile obversabuntur.

Fontes tantummodo memorem sæpius neglectos et quos negligere est nefas: antiquissima monumenta, quibus ipsius Epicuri nonnulla carmina atque priorum ejus discipulorum longiores tractatus inscripti servantur.

Sunt enim edita, Neapolitanæ Academiæ diligentia, Herculanensium voluminum quæ supersunt; atque ad Epicurum aut ad illius scholam pertinent fere omnes libri, a cineribus suis ad hanc diem renati. Quos ad legendos jam inclinatum propria recordatione inauditorum illorum monumentorum quæ ipse, in Museo Borbonico, hinc mentis humanæ depositum tanta nocte oppressum recondentia horrueram, atque illinc solertissima humanæ mentis inventione luci reddentia obstupueram, omnino impulit doctissimus Parisiensis Facultatis decanus, idem et eruditionis suæ cum juventute communicandæ benignissimus largitor, qui me hos libros attentissime perlegere jussit, novas inde copias novasque opes ad meliorem Epicureæ doctrinæ intelligentiam relaturum, et quidquid interroganti mihi magister et priores ejus discipuli respondissent, velut ex adytis emissum, piissima cura servaturum.

Quod opus, tali auctore, perficere me juvit; neque conceptam meam spem eventus fefellit. Quanquam enim sunt rara fragmenta, multisque lacunis interclusa expositio,

nonnulla tamen eminent quæ testentur Epicuri doctrinam a Lucretio etiam ad verbum fidelissime ad Romanos translatam, et quæ manifestius faciant quid magister ejusque discipuli de summo bono et de diis senserint. Collecta igitur illorum verba, quantum ad illustrandam moralem et metaphysicam doctrinæ partem tenderent, dissertationi meæ inserui (1).

Quæ loca, a Græco in latinum ab ipsis editoribus translata, mutare nolui, sed religiosissimè servavi, ne quod eminentissimi illi viri diligentissime fecerant corrigere viderer, atque ne ipse a vera obscurorum fragmentorum interpretatione longius aberrarem.

Mihi tamen fatendum me non potuisse in manibus habere plures quam sex primos Herculanensium voluminum libros, quibus contenta inveni opera quæ sequuntur :

T. I. 1793. Philodemi De Musica (2). Col. 38.
T. II. 1809. Epicuri De Natura. Lib. II (3). Col. 11.
Lib. XI (4). Col. 13.
T. III. 1827. Philodemi De virtutibus et de vitiis oppositis et de rerum subjectis et objectis. Lib. IX (5). Col. 28.

(1) Vide p. 11, 12-15, 22, 47-48.

(2) Ibi animadvertendum imprimis quid (col. 34) de musicæ inventione dicatur, non divinitus emissæ, sed sensim et natura perfectæ, et quomodo (col. 35) ad metaphoricam interpretationem priscæ religionis mythi referantur.

(3) Aliqua mentio est de corporibus primis et de rerum origine.

(4) De situ terræ, meteoris et solis motu agitur.

(5) Liber de œconomia aut de sapienti acquirendis et servandis divitiis. Ibi legitur (col. 27) : « Aliqua etiam eorum quæ a Xenophonte et Theophrasto sunt, concessimus esse non improbanda, et a philosophis illa quoque vindicanda : erubescentes potius si quid utile prætermiserimus quam si quid ab aliis mutuemur. Profecto, si

Philodemi De Vitiis. Lib. X (1). Col. 16.

T IV. 1832. Polystrati De injusto contemptu (2).

Alii vero inscribunt : Adversus eos qui injuste contemnunt opiniones apud multos receptas.

Philodemi De Rhetorica (3). Col. 24.

T. V. 1835. Philodemi De Rhetorica. Col. 32.

Philodemi sermonum de vita et moribus compendiaria ratione excerptorum e Zenonis libris.... qui est de dicendi libertate (4) Col. 24.

T. VI 1837.—Philodemi de Deorum vivendi ratione, per conjecturas investigata, secundum Zenonis placita (5). Col. 15.

Metrodori De Sensationibus (6). Col. 21.

quis nos accuset quod de œconomia rursus scribamus, nobis sufficit Metrodori exemplum, qui, post Epicurum, præcepta et monita et constitutiones accuratius et usque ad minutiora tradidit et ipse executus est. »

(1) De superbia commentatio.

(2) Multa ibi occurrunt notanda de Epicureæ doctrinæ utilitate et de causa malorum, quorum ipsa remedium affert.

(3) Quod librum multa diligentia edidit F. Gros, apud F. Didot, 1852.

(4) Sunt ad monitoris usum consilia.

(5) Erat opus proposito meo maxime accommodatum, sed quod, tristi fato, maxime corruptum habemus. Testem ipsum editorem audite : « Philodemi volumen, cujus explicationi incubuimus, fere desperatæ lectionis erat : in plurimas enim lacinias discerptum, rugis ubique deturpatum, immanibus hians lacunis, pulvere ac situ squalens, litterularum abrasione fædum, singulari characteris varietate incommodum et inusitata nexuum multitudine implicatum, innumerabiles salebras atque ambages illud percurrentibus objecerat. »

(6) Cujus voluminis pagellæ sunt omnes inferiori parte tam mutilæ, ut sermo sit perpetuo interruptus.

DE

LUCRETII

METAPHYSICA ET MORALI DOCTRINA

EXPOSITIO

Quod discrimen inter philosophos Marcum Tullium et Lucretium? — Philosophia jacuerat apud Romanos usque ad ætatem Marci Tullii et Lucretii Cari, neque ullum habuerat lumen litterarum latinarum, donec maximus ille orator et poeta hic maximus jacentem erigerent et obscuram illustrarent. Quam vero, vita anteacta eruditus, et præteritorum temporum memor, totam ad morum præcepta et humanam communitatem conversam, agendique magistram monstraverat Tullius, eamdem, tristi experientia edoctus et novorum seclorum præsagus, totam ad res externas naturæque leges intentam et abstinendi auctorem vult Lucretius. Ad philosophiæ studium venit consularis vir, ne in otio coacto hebescat et languescat, patriæ inutilis; publicæ rei præcipuum semper respectum habet, atque suos academi-

cos aut tusculanos libros scribit, de civitate usque ad finem bene meriturus. Amicus autem Memmii, cui mala publica et privata omnem bonam spem abstulerant, ad philosophiam confugit, quasi ad portum, ubi requies et tranquillitas; et, quam cæteri mox ab imperatore Augusto sunt imploraturi pacem, ipse in doctrinâ sapientum se invenisse declarat.

Philosophiam omnis publici privatique mali remedium amplectitur Lucretius. — Etenim, dum bellis civilibus omnia miscentur, atque victores inhumanis sanciunt cædibus triumphos; dum plerique perterriti, ac pene dementes, deos ipsos contra romanum nomen armatos sibi fingunt, atque precibus surda simulacra fatigant; quid melius quam in animum descendere omni metu purgatum, atque ibi procul a negotiis et omni labore quiescere? Quo majoribus malis cæteri laborant, eo dulcius sapienti sentire se solum esse felicem (1).

Ideo Lucretius tantis laudibus philosophum extollit, cujus vestigia ingreditur, ut qui solis ingenii viribus, non armis, sed dictis, omnia quæ civitates atque animos turbant expulerit, vitamque in luce clara et in tranquillo locarit (2). Ipse vult homines tenebris et terroribus oppressos liberare, atque ad tranquillitatem ducere, ratus, ubi ratio et naturæ species animis illuxerint, omnia mala evanescere et cujusque felicitatem certam et puram fieri.

(1) Lucret., De Natura rerum, II, 1-13.
(2) Id., I, 63-80; III, 1-13; V, 1-55.

Cujus documentum ante omnia poematis initium, quo invocat Venerem, quæ Martem dulci amore vinciat, bellique furores refrenet et placidam petat Romanis pacem (1).

Quæ autem beneficia non ficti dii suo auxilio, sed ipsa philosophia nostra opera nobis conferet. Etenim ratio, religioni quidem infensa, veræ autem erga summum, quod concipimus, numen pietatis adjutrix, (2) testatur non esse deos rebus humanis atque omni rerum naturæ ita implicatos ut omnia per eos fiant, inter se debellantes, nobisque faventes aut iratos, et quos omni modo placare tentemus; « sed, si quæ sint æterna et beata numina, ea nec habere ipsa negotii quidquam, nec exhibere alteri, itaque neque ira neque gratia teneri, quod esset imbecillitatis signum » (3).

> Omnis enim Divom natura necesse est
> Immortali ævo summa cum pace fruatur,
> Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe:
> Nam, privata dolore omni, privata periclis,
> Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
> Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira (4).

Ad quæ autem horrenda facinora nos impellit malesuadus deorum timor, qui Agamemnona jussit filiæ cædem patrare (5)! Ad quam, contra, morum dulcedinem

(1) Id., I, 41.
(2) Id., V, 157-166.
(3) Epicuri verba in latinum a M. Tullio translata, De Natura deorum, I, 17.
(4) Lucret., I, 57-62; II, 646-651. Cf. III. 18-24.
(5) Id., I, 81-102.

nos invitat vera pietas, quæ hominem jubet omnia pacata mente contemplari, (1) beatorum instar deorum !

Religionem, ignorantiæ filiam, et omnis mali causam, aversatur. — Unde enim religio orta, nisi quod causarum ignorantia nos, quidquid terra cœloque fieri videmus, ad deorum imperium conferre cogit? Sed quid sit illud imperium, quid queat esse, quid nequeat, nos nullo modo cognitum habemus (2). Quod vero novum et inauditum nobis periculum intentat, dei cujusdam opus esse credimus, quasi proprium esset deorum homines perdere posse (3). Dicendum igitur est ignorantiam religionis initium esse.

Nil autem pejus ea ignorantia, cujus ita sumus inscii ut, quod temere ipsi nos finxerimus, pro vero arctissime amplectamur, neque errores nostros nobis adimi patiamur. Sæpius enim falsæ doctrinæ struendæ interfuit imaginandi vis; sæpius nos innumera specie delusit, quam ad vivum mira arte expressam nobis præbuerat.

Primum ante omnia quid sibi vult et quid significat ea vox : omnia e nihilo creari (4); quæ non est ignorantiæ confessio, sed contra perfecta et absoluta rerum omnium explanatio haberi vult? Quippe, si res per se nihil sint, oportet iis supponamus deos, mundo creando pares, qui jubeant omnia e nihilo oriri, et causa sint

(1) Id., v, 1202.

(2) Id., vi, 50-67; v, 1182-1192.

(3) Id., v, 1217-1239. Cf. Horat., Od., i, 28; iii, 5.

> Cœlo tonantem credidimus Jovem
> Regnare....

(4) Id., i, 150-155.

cur ea quæ non erant esse incipiant. Nos fugit qui sint et quomodo agant illi dii, quos simul, ut deos, aliquid esse quo nihil majus concipi queat, et, ut mundi creatores, omnia diversissima atque contraria pariter facere arbitramur. Inde mira ea vulgi de diis opinio : eos nihil certum fixumque possidere, sed omnia posse, atque nulla lege, nulla necessitate teneri. Inde immensa nostra anxietas, quum nihil ipsi per nos simus, quumque nullus ejus, cui omnia referimus, infinitæ voluntatis modus nullaque ratio appareat.

De metu deorum et inferorum. — Etenim, quominus omnia fortuito fieri credas, atque ut aliena et mala horreas, quid tibi obstat, fatenti mundum per se nihil esse atque omnia per deos fieri?

> Nam, si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
> Omne genus nasci posset...

Quot mala, quam divino ortu dicis, naturam dehonestant atque fœdant (2) ! In tam perpetua et cæca rerum mutatione, quid vere bonum agnoscas, quid tibi proprium vindices? Si nulli sunt dii, nisi quos mundus declarat, si nullum mundi principium, nisi quod mundi instar sit instabile et imperfectum, continuoque novas formas induturum, quid superest fixum immotumque, ubi tibi sistere detur quieto ac beato? Quid vere omni re superius, quod dei nomine salutes, quodque ut summum bonum omni mente amplectaris?

Nequidquam deos fingere tentes omnia ratione cre—

(1) Lucret., I, 160-161.

(2) Id., II, 177-181 ; V, 196-200; V, 166-176.

antes atque gubernantes; nihil proficias, quum eos suum imperfectum opus omni lege tam solutos testetur, ut contraria æque approbare et velle possint; quumque nihil inter legem quæ hominis mentem et vitam regit, deorumque naturam, huic optimæ legi sæpius adversantium (1), commune invenire queas.

Fas tantummodo sentire « impositum in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeamus. Quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii deum (2). » Nempe nos toti in illius manu, neque ullo modo in nostra potestate esse nobis videamur necesse est.

Perterritos nulla possit salvos et securos facere ignotæ legis obedientia. Non enim deorum est imperare, neque nostrum parere; sed ipsi quod arbitrio suo decrevere, dii in nobis faciunt mutantque. Nihil nos agendo eorum omnipotentiæ addimus. Nihil ipsi nobis debent. Imo nullum neque sui, neque ejus quod nostrum dicimus operis, respectum habent. Quid enim certum et proprium in ignota et mutabili eorum voluntate dicas? Facilius oceani fluctus numeres quam infinitæ illius potentiæ terminos modosque assignes.

Quocumque igitur mentis aciem intendas, nihil perspicias nisi mundi creatores deos, et mundum, perpetuæ mutationi traditos, ut mala usque renascentia tibi continuentur. Quid ultra vitam, huic vitæ quam vivis simi-

(1) Lucan., I, 138. « Victrix causa diis placuit.... »
(2) Cicer., De Nat. deor., I, 20.

lem, excogites? Nil amplius, nil melius dii possunt, quam quod eos in rerum natura manifestos facit. Quid igitur tibi unquam sperandum, nisi vana hæc bona et mala quorum ex alternis vicibus constat vita humana (1)? Bona autem tua caduca quam proxima sunt malis; atque etiam in iis quos faustos dicis dies, quantum te incertæ tuæ conditionis conscientia sine intermissione premit et urget! Sic tibi semper vivendum illius simili miseri, cui ensis supra caput pendebat, et qui mortem ipsi imminentem continuo horrebat.

Neque in ipsa morte miseriarum finem tibi sperare fas est. Quomodo enim tibi perpetua mutatio, quæ vitæ causa est, causa mortis esse possit? Quomodo tibi extra mundum, qui ipsos etiam deos continet, sit perfugium? Pars es mundi, qui te mortuum ad vitam usque novam servabit, usque nova deorum arte exercendum atque torquendum. Qui dii te vita donarunt, tibi vitam continuare possunt. Tu autem neque per te nasci, neque per te mori potes. Quemadmodum, quum vita tibi non erat incepta, esse poteras, sic, quum tibi hæc vita finita erit, poteris superesse. Nulla ratio initii neque finis apparet.

Contra quum per deos vivas, qui æternum vivunt, sis totus vitalis necesse est, atque, ad eos morte remissus, iterum vivendi necessitatem subeas, ea quam jusserint sorte damnatus. Quæ enim vita esse queat, quæ non damnatio et supplicium esse videatur? Sic tibi nulla bona spes in futurum, sed tantum continuus metus illius divinæ

(1) Lucret., III, 953-958, 1091-1094.

dominationis cujus servus es, et cui nihil te, ne mors quidem, subtrahere potest...

> ..... Nam, si certam finem esse viderent
> Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
> Relligionibus atque minis obsistere vatum :
> Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,
> Æternas quoniam pœnas in morte timendum (1).

Est igitur necesse deorum timori timor inferorum accedat. Quum ea, quam his in terris vivus duxeris, vita non tua fuerit, vitam pariter, quæ tua non futura videtur, alibi mortuus duces, incertis, quos diis jubere placuerit, casibus æternum ludibrium traditus.

Qua vero animi tranquillitate unquam fruatur qui neque in se ipso, neque apud deos, miseriarum requiem sperare queat, qui autem semet ipsum ignoret et fugiat, deosque reformidet invidos et iratos eosdem et æternos. Quantumvis imbecillam suam sibi naturam fingat, interdum eam esse aliquid non omnino negare potest; et, quamvis nequeat dicere quem ad finem tendat, putat tamen creatores deos sibi propositum quemdam finem habuisse, hominique imposuisse attingendum. Sic inscii quo sit eundum, et qua via et qua arte vitæ partes explendæ, velut in tenebris pavidi (2) et vagi errant, quos in omnes partes desperatio præcipites agat. Denique supplice et tremebunda voce quos nesciunt implorant deos, qui ipsis viam monstrent. Sic ab alieno auxilio cui male confidunt suspensi, a præsente futuraque sorte quam ægre ferunt

(1) Id., I, 108-112.
(2) Id., II, 57; III, 90; VI, 38.

aut reformidant æque abhorrentes, infelicem vitam sine ulla spe vivunt.

Post mortem deos expavescunt judices, quibus vitæ in terris actæ rationem reddere debeant, quibusque, quam suimet ipsorum curam habuerint, non facile approbent. Saltem, dum sua humanitate quasi circumvallati erant, intra eos et deos intervallum aliquod esse cæcis videbatur. Quum vero, post mortem, terrestri natura exuti et nudi ante Deos vocantur, quasi subito ipsorum oculi aperiantur, se iis omnino obnoxios vident. Tunc deorum ignotæ voluntatis major cura eorum animum invadit atque cruciat. Jam nihil ei divinæ legi anteponendum, jam quoque nihil amplius pro ea exsequenda faciendum. In hac igitur altera vita solæ supersunt et ira deorum et pœna æterna subeundæ.

Tunc metu immenso maxime horrendas ministrante imagines, nobis fingimus Deos inaudita excogitantes supplicia naturæ nostræ quam maxime repugnantia, quæ usque nova usque renascentes nos in tenebris torqueant.

Hic igitur esse videtur fructus religionis, id est doctrinæ quæ deos mundi creatores atque omnium quæ fiunt auctores inducit, ut, quidquid his in terris horremus iis referentes, nihil magis quam loca deorum plena reformidemus, atque ibi esse malimus ubi eos minus esse quam ubi eos magis versari putamus; ut deos quasi miseriis nostris lætantes invisos habeamus; denique ut vitam terrestrem tantummodo horrore deorum, quasi aliquam funesti ad eos reditus moram, amplectamur, desperantes atque insana vivendi cupidine ebrii.

Quam contra religionem totas animi sui vires intendit

Lucretius arctis illius nodis mentes exsoluturus (1), quippe qui pro certo habeat nihil homini utilius quam ab ea emancipari (2) et liberum ad veri indagationem incedere : etenim

> Humana ante oculos fœde quum vita jaceret,
> In terris, oppressa gravi sub relligione,
> Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
> Horribili super adspectu mortalibus instans (3),

nullus humanæ felicitati locus erat. Hominis ergo interest ante omnia veram deorum et suimet ipsius cognitionem obtineat, omni metu liberandus. Sapere tantum audeat, et facilem referet de religione triumphum. Ratione et vera rerum specie illustratus, non quidquid in natura pro malo habet velut divinum æternumque opus metuet et venerabitur, sed quod deorum et hominis est ab eo quod reliquæ est naturæ disjunget, rerum deorumque servitium excussurus, suique vere compos futurus.

> Quare relligio, pedibus subjecta, vicissim
> Obteritur, nos exæquat victoria cælo (4).

Dei scientiam a scientia rerum esse disjungendam.— Quod igitur Epicuri discipuli stoicis objicere solebant, eos, omnia miscendo, et rerum et Dei scientiam tollere, illud Lucretius religioni objicit, ratus : deos non simplices, æternos, immutabiles, sapientes, bonosque et

(1) Lucret., I, 930-931 ; IV, 6-7.
(2) Id., V, 1193-1196.
(3) Id., I, 63-66.
(4) Id., I, 79-80.

beatos concipi posse, nisi extra mundum qui nihil simile sibi merito vindicare queat.

> Illud item non est ut possis credere sedes
> Esse deum sanctas in mundi partibus ullis (1).

Quorum Lucretii verborum commentationem apud Philodemum de deorum natura contra stoicos disserentem legimus :

« Si quis ipsum (Deum) omnino otiosum, qualis et ipse est, finget et simul in solido ; etiam hanc sententiam nequaquam multi comprobarunt, quisquis enim hæc dicit irridetur ; siquidem absurdam esse ejus opinionem et systema omnes facile agnoscunt (2).

« Quapropter hoc pro certo statuimus : videlicet quædam oportere quærere et definire de diis, quædam vero nec quærere nec definire (3).

« Quamobrem Deos astris nec circumpositos nec insertos dicere oportet : neque enim consentaneum est putare Deos in materiam esse projectos, uti rectum non est dicere eos projectos esse in has res adeo parvas ; sed oportet collocare in regione quæ superior est, non in ea quæ intermedia est. Quare admittendum non est complicationem vel maxime fieri harum rerum quæ separandæ sunt (4). »

(1) Id., v, 147-148.

(2) Herculan. volum. quæ supersunt, lib. vi. — Philodemi De deorum vivendi ratione, per conjecturas investigata, secundum Zenonis placita, col. 11.

(3) Ibid., col. 14.

(4) Ibid., col. 15. Cf. Lucret., v, 114-122.

Sic Philodemus et Lucretius Dei et rerum naturam separatim requiri et definiri jubent, ut ignorantiam et omnem animi perturbationem exuamus.

Sola via ad felicitatem non omnia, stoicorum instar, ut bona et nobis accommodata laudare atque amplecti, neque, religionis more, ut mala et nobis infensa damnare atque horrere; verum discere quid nostrum et alienum, quid bonum et malum, quid Deos et rerum naturam esse dicamus, atque simul, quas fabulas ratiocinandi aut imaginandi vis excogitaverit, omnino dediscere.

Quum enim omne malum ab injusta divinarum physicarumque rerum confusione oriatur, necesse est attenta utriusque scientiæ distinctio nos, omni falsa opinione liberatos, ad viam vere felicem ducat. Quæ est utilitas physiologiæ Dei scientia expurgatæ. Ibi omnes Epicuri discipuli consentiunt, et, antequam ad Lucretium veniamus, alterum ejusdem doctrinæ interpretem, quamvis interrupto sermone loquentem, audire placebit.

Laus physiologiæ apud Polystratum. — « Quæcumque vane animum perturbant auferat sapiens; quod fieri non possit, nisi exquirendo agnoscat res perturbationem afferentes esse fallaces. Quæ meditetur, sanitatis curam gerens : si enim sanatur, ne ab una quidem harum rerum turbabitur a quibus nunc turbatur. Etenim ego, inquiet, id novi, idque cupio, immo id (1) censeo quo instrui satago...... Jure igitur omnem perturbatio-

(1) Herculanensium voluminum quæ supersunt lib. IV. — Polystrati De injusto contemptu, col. 1.

nem irridere poterit is qui ab se rejecerit omnia quæ illam admittere possunt..... Hæc cogitandi ratio, ut et adversarii concludunt, immutat eos qui hæc mente revolvunt, ipsos etiam qui superstitioso metu prius agitabantur in agendo, quique, si quid audacter (1) egerint, suam deinde sequentes cogitandi rationem, actionum retractationibus timoribusque cohibentur (2); quemadmodum et eum fecisse qui serpentem occidit in templo narrant : quum ei nescio quid adversum accidisset post hæc, calce dimisit parvum serpentem, quem ferunt insurrexisse..... Veritas undique sibi consona et nullatenus repugnans, uti falsitas imperturbatam reddit de singulis rebus fidem; propterea solvit ad omne, quod hisce de rebus quispiam dicat qui (3) nihil ostendit de ea quæstione : num scilicet possint, necne, existere in natura hujusmodi potentiæ, quales traduntur, et Deus ista possit conferre secundum suam voluntatem. Protinus enim necesse est ut in ipsis rebus harum potentiarum aberrationes reperiantur naturaliter...... Hæc nequaquam ab eorum deorum sapientia et voluntate perfici; aut hæc quidem sic, alia vero sic. De his igitur observandi sunt non qui per syllogismos aut inductiones argumentantur, nec qui eloquentiam ostentant, nec qui, alio modo (4) disserentes..., neque de hujus (Dei) natura et voluntate neque de nostra aliquid certi ferunt. Qui autem recte de horum omnium natura disserunt, iis solis contingit veri-

(1) Ibid., col. 2.
(2) Cf. Lucret., III, 41-58.
(3) Polystrat., loc. cit., col. 3.
(4) Ibid., col. 4.

tatem conspicere : etenim possibilia et impossibilia sive secundum essentiam (1), aut potentiam, aut efficaciam, sunt. Quæ igitur solum aliter sunt considerari non debent; et nonnulla quidem omnino impossibilia sunt, seu nequeunt existere, aut fieri, aut permanere, et alia sunt falsa secundum poetarum fabulas qui multas opiniones indiderunt..... Id autem efficit physiologia ut mens non ignoret omnes naturales effectus, a qua aufert omnem suspicionem vanam, uti etiam cæteras animi perturbationes, quæcumque per vanas falsasque opiniones gignuntur; atque sola liberam vitam comparat (2), quum confidat animus ob perspectas causas universas, quæ perturbationem afferunt ; uti etiam tum ignoratione, tum errore, tum falsa opinione liberatur; quod ad liberam vitam pertinebat (3)...

« Sic in lusum et oblectamentum jucundum propriumque transimus : quod fit tantummodo a recta, quemadmodum inventa est, physiologia eorum qui omnium rerum naturam investigarunt; quomodo se habeant et haberent hæc, si tamen id fieri potest; quum sint tum nobis propria, tum aliena quæ efficiuntur non naturalia solum, sed etiam moralia... (4). Hasce doctrinas quisquis sequatur, utique obtinere poterit vitam felicem adversus omnia mala, et gaudentem de quacumque re quis optaverit gaudere. Non enim iterum (5) obnoxios malis

(1) Ibid., col. 5.
(2) Ibid., col. 6.
(3) Ibid., col. 7.
(4) Ibid., col. 10.
(5) Ibid., col. 20.

quæ stultas opiniones comitantur sectatores suos esse faciet cum vulgi amentia, sed vitam tranquillam vere et lætam in omnibus esse (1). »

Laus physiologiæ secundum Lucretium. — Rerum naturæ interpres, qui testatur alias esse leges quam morales illas quas religio hoc in mundo nequidquam quærit et se reperisse profitetur, sese fert et Dei scientiæ et humanæ felicitatis (2) ministrum. Certis enim includit finibus mentem nostram, aliter nullum modum servaturam, atque de omnibus quæ fiunt dubiam aut malam opinionem contra deum et nos ipsos inconsulto conversuram. Unde enim impii errores qui nos de deorum voluntate queri jubent, unde prava animi inclinatio qua ipsi nostræ naturæ adversi ruimus, nisi quod nosmetipsos et mundum Deumque ignoramus? Nam, quum arbitramur omnia e nihilo oriri, id est incerta ignotorum deorum voluntate creari, nihil jam certi retinemus quod producendis servandisque rebus præsit, quodque nos ipsi amplecti et imitari velimus. Ergo nostra interest firmum aliquid fixumque in rebus ipsis deprehendamus, quod sua lege et suo modo contineatur, atque ad ipsa semina perveniamus e quibus omnia secundum justum rectumque ordinem enascantur.

> At nunc, seminibus quia certis quæque creantur,
> Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
> Materies ubi inest quojusque et corpora prima;

(1) Ibid., col. 21.
(2) Lucret., II, 14-19; V, 1193-1196.

> Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
> Quod certis in rebus inest secreta facultas (1).

Quæ autem secreta facultas est abdita ratio, intima lex, causa genitrix, quam non oculis videmus, sed ubique præsentem ratione sentimus. Eadem nasci monstra non patitur, atque genera animantium certis formis inclusa, rerumque ordinem perpetua necessitate vinctum et facit et regit,

> omnia quando
> Seminibus certis, certa genitrice, creata
> Conservare genus crescentia posse videmus.
> Scilicet id certa fieri ratione necesse est (2).

Naturæ igitur species nos ad rectam legum cognitionem ducit, atque docet finibus justis et spes et metus nostros continere. Qua duce non jam scindimur studia inter contraria, ad perniciem nostram cæco impetu ituri. Sed physiologia, veræ erga deos pietatis adjutrix, nos ab omni vano metu aut insana cupiditate liberatos quæ nostra, non quæ aliena sunt, quærere atque colere jubet.

Aliter enim vivamus similes puero, quem omnia in tenebris terrent, aut potius similes belluæ, quæ sese ad id quod præsens est accommodat, paululum admodum, sentiens præteritum aut futurum. Nil enim aliud sunt cupiditates nostræ quam mala quibus inscii laboramus, veræ utilitatis veræque nostræ salutis immemores. Nempe quidquid avemus, illud extemplo omnia exsuperare perfectumque bonum esse videtur; contra, quum aliquod

(1) Lucret., I, 170-174.
(2) Id., II, 707-709.

nobis periculum imminet, nos tantus tenet vitæ amor, ut propter eam omnes vivendi causas perdere non abnuamus, atque, vitæ in futurum servandæ amore, præsentem omni modo contemnamus atque repudiemus. Quum per angustum iter luctamur ambitionis, quid arduum, quid periculosum, quid violentum, imo scelestum, quod nos ab honore aliquo et aliqua dignitate persequendis deterreat, dum ad fastiguim perveniamus atque mox illius fastidio laboremus aut magna ruina pereamus (1). Nihil tamen bonæ vitæ funestius quam quum feminæ amore cruciamur, quippe qui nobismet ipsis sanandis obstemus. Quot commoda ei quam amamus et cupimus tribuimus, quæ vere non habet! Cujus pretii immensi vel minima habemus dicta factave ejus sub cujus nutu desidiose et turpiter vitam degimus (2)!

In omnibus autem cupiditatibus hoc commune earum principium invenimus, rerum scilicet et nostrummet ipsorum ignorantiam, quæ nos jubet imprudenter quod adest sine ullo modo odisse et fugere aut adamare et persequi. Immoderata enim cupido vere insania dicatur, cujus nullum remedium est, nisi singula ad suam mensuram et suum pondus æstimemus. Inde tam longæ argumentationes Lucretii se animorum medicum ferentis, quibus probat nihil pejus quam breves multo emptas dolore voluptates, nihil autem naturæ nostræ accommodatius quam vitam secundum rationem ordinatam et temperatam. In

(1) Id., v, 1119-1159; III, 59-73.
(2) Id., IV, 1056-1169.

promptu esse felicitatem iterum atque iterum dicit, quam non multo labore extorqueamus, sed quam extensa manu carpamus, dummodo iis simus similes qui pauca cupiunt et quos pauciora beatos faciunt. Nostra enim bona si vere noverimus, felices erimus.

> Nam, si quis vera vitam ratione gubernet,
> Divitiæ grandes homini sunt vivere parce,
> Æquo animo : neque enim est unquam penuria parvi (1).
> Ergò corpoream ad naturam pauca videmus
> Esse opus omnino, quæ demant cunque dolorem;
> Delicias quoque uti multas substernere possint;
> Gratius interdum neque natura ipsa requirit (2).

Quod si pacata et prudenti mente parabiles has et lætas amplectamur divitias, ad utilissimos usus eas conferre poterimus, atque, natura et tempore auxiliantibus, omnes quibus vita politur et exornatur artes invenire. Loco igitur ejus stultitiæ, quæ nos Tantali, aut Sisyphi, aut Ixionis, aut Danaïdarum (3) instar, jubet inutili conatu eadem semper tentare, quæ nos semper frustratos excrucient, atque

> .... animi ingratam naturam pascere semper,
> Atque explere bonis rebus satiareque nunquam (4),

nascitur scientia *activa* (5) quæ se beneficiis usque no-

(1) Id., v, 1116-1118.
(2) Id., ii, 20-23.
(3) Id., iii, 992-1023.
(4) Id., iii, 1016-1017.
(5) Baco, Novum organum.

vis approbat atque hominem amplo laboris sui pretio donatum delectat et explet.

> Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
> Arma, vias, vesteis, et cætera de genere horum,
> Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
> Carmina, picturas ac dædala signa, politus
> Usus et impigræ simul experientia mentis
> Paullatim docuit pedetentim progredienteis.
> Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas
> In medium, ratioque in luminis erigit oras.
> Namque alid ex alio clarescere corde videbant
> Artibus, ad summum donec venere cacumen (1).

Artes autem, naturæ opus et vitæ humanæ adjumentum, male tueantur felicitatem nostram, ni bonum summum quo tendamus, atque viam qua ad id recto cursu possimus pervenire, bene noverimus. Oportet igitur nobis ratio semper veram nostri conscientiam et rerum notionem sufficiat, et quid cupiendum, quid timendum, quid quærendum, quid vitandum sit, clare et distincte monstret.

Potest esse scientia. — Quemadmodum enim maxima cura Dei scientiam a scientia rerum distinguere necesse est, ita verum a falso sejungi oportet, ne humanam mentem et vitam omnino damnemus, utrique pariter diffidentes. Non nostrum est omnia scire, sed quædam scire nostrum est. Atque etiam, quum nostra deficit cognoscendi vis, hujus imbecillitatis certam claramque conscien-

(1) Lucret., v, 1447-1456.

tiam habemus. Procul ergo a nobis qui hominem nihil certi cognoscere profitentur.

> Denique, nil sciri si quis putat, id quoque nescit
> An sciri possit quo se nil scire fatetur.
> Hunc igitur contra mittam contendere causam,
> Qui capite ipse suo instituit vestigia retro.
> Et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum
> Quæram, quom in rebus veri nil viderit ante,
> Unde sciat, quid scit scire, et nescire vicissim;
> Notitiam veri quæ res falsique crearit,
> Et dubium certo quæ res differre probarit (1).

Natura igitur vel invitos jubet non omnia pro incertis rejicere, sed soli opinioni quam evidentia non comprobavit diffidere, claræ vero et distinctæ evidentiæ fidem firmam et integram adhibere.

De sensibus. Ab iis omnem notitiam veri oriri. — Quæ autem veri notitia non ab humana mente, sed ab ipsis rebus procedit : est enim ipsis sensibus creata (2). Hoc est scientiæ fundamentum, quo vita atque salus hominum nixatur, et quod nullo modo everti possit.

Quo referamus enim? Quid nobis certius ipsis sensibus esse possit? Qui vera ac falsa notemus (3)? Nequidquam objicias hoc testimonio nos falli posse; non sensus nos decipit, sed ratio; non quod e corpore externo, sed quod ab intima mente venit.

> Non tamen hic oculos falli concedimus hilum:

(1) Id., IV, 471-479.
(2) Id., IV, 480-524.
(3) Id., I, 700-701. Cf. I, 424-426.

> Nam quocumque loco sit lux aut umbra, tueri
> Ollorum est.....
> Nec possunt oculei naturam noscere rerum.
> Hoc animi demum ratio discernere debet (1).

Sola opinio nos in errorem inducit; quippe quæ res ipsas capere arbitretur, atque tantum capiat vanas sine corpore species, inanesque formas, quibus nihil certi, nihil solidi inest.

> Deinde adopinamur de signis maxima parvis,
> Ac nos in fraudem induimus, frustramur et ipsi (2).
> . . . . Multa videmus,
> Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt;
> Nequidquam: quoniam pars horum maxima fallit
> Propter opinatus animi, quos addimus ipsei;
> Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibu' visa (3).

Sensus autem res ipsas percipiunt, aut potius ipsi corporei corporibus moventur.

> Tactus enim, tactus, proh divum numina sancta!
> Corporis est sensus! (4)

Qui fidem sensibus adhibet non potest dubitare quin ipsam rerum naturam et nihil ab ea alienum fictumque possideat. Etenim, quum sensu res cognoscimus, nul-

(1) Lucret., IV, 380-382, 385-386.
(2) Id., IV, 814-815.
(3) Id., IV, 463-467.
(4) Id., II, 434-435.

lum jam intra nos et eas intervallum. Ipsæ nobiscum sese communicant.

> Dico igitur rerum effigias tenueisque figuras
> Mittier ab rebus, summo de corpore earum,
> Quæ quasi membrana vel cortex nominitanda est,
> Quod speciem ac formam similem gerit ejus imago,
> Quojusquomque cluet de corpore fusa vagari (1).

Quæ rerum simulacra vocat Lucretius. Ea nobis res aut, quod unum esse videtur, rerum cognitionem imprimunt. Nullus igitur noster labor quæ ignoramus noscere. Sinamus tantum eos e rebus emissos cognitionis artifices opus suum perficere. Sunt autem tenuissima (2) eadem et velocissima simulacra.

« Tenuitas longe ab ea distans, quæ sensibus percipitur, tenuitate, simulacrorum in motione celeritatem insuperabilem arguit (3)... Si eximie levia sunt, manifestum est ea eximie quoque celeria esse in motione. Et si ad summam pari celeritate præditæ sunt atomi, dicendum est, commigrantibus ipsis, dum unum in locum feruntur, perennem utique meare fluxum, neque eis obsistere ultra meantibus (4). »

Quum singula nos effugiant simulacra necesse est multa ad nos adveniant, ut ea adesse sentiamus, et nos quasi vacuos occupent; necesse est quoque puncto temporis per infinitum spatium advolent, ne antecedentia jam ante

(1) Id., IV, 46-50.

(2) Id., IV, 109.

(3) Herculan. volum. quæ supersunt, lib. II; Epicur., De Nat., lib. II, col. I. Cf. Lucret., IV, 177-180.

(4) Ibid., col. II. Cf. Lucret., IV, 184; II, 156.

eorum quæ sequuntur adventum evanuerint. Ut igitur rerum cognitio fiat, non nobis, non nostra ratione opus esse videtur, sed tantum et numero et motu simulacrorum. Denique definire possis cognitionem aliquid corporeum simulacrorum concursu ortum.

Quæ autem definitio testatur nihil esse in cognitione quod non sit in rebus. Quid enim sunt res ipsæ, nisi corpora atomorum concursu orta? Nonne videmus omnia quæ sunt multis e partibus constare, atque perpetuo mutari? Nihil simplex et immotum in rerum natura. Vis autem creatrix omnigenos cœtus indefesso motu experiri videtur, dum partes innumeras conjungit aut disjungit, diversissimas res ad lucem editura.

Quemadmodum autem res esse non possunt, nisi cujusque rei partes coierint, ita nos rem nullam cognoscere possumus, nisi quædam ejus partes in nobis simul convenerint. Prima principia vel simulacra ante moveantur atque misceantur necesse est quam aliquid sit, aut aliquid noscamus. Itaque noli credere rem tibi cognitam, quum nullus simulacrorum concursus ad te factus est, et mundum, quum nullus principiorum motus nullusque congressus, imo quum nulla principia erant, jam a diis conceptum (1).

Seu de nobis, seu de mundo agatur, fatendum est non præire, sed sequi rationem. Res eam informant, non illa res. Illius igitur interest non dominam, sed servam, non principium causamque, sed effectum atque consequentiam agnosci. Hæc est veri bonique conditio.

(1) Id., v, 182-187.

Naturam hanc externam quæ nos continet fugiebamus, nunc ad eam redeundum. Illi stulte imperare volebamus, nunc ei parendum. Illi præfuisse deos arbitrabamur qui non adhuc natæ integram cognitionem sibi finxissent, atque eam nasci fictæ huic cognitioni similem jussissent; nunc soli naturæ et sua origo et sua forma sunt tribuendæ.

In omni re, mala est mentis anticipatio. Ne igitur concipiamus aut conceptam velimus aliquam rerum figuram vel utilitatem, quam non secum res ipsæ attulerint atque declararint. Quam autem ipsi nos subimus necessitatem, eam vel diis nobiscum communem agnoscamus.

Etenim experientiam solam ducem sequi debemus et sensus solos audire magistros. Sic discimus in rerum natura nihil a nihilo nasci, nihilque ad nihilum reverti, sed omnia non omnino incipere neque perire, atque elementorum, quæ nos singula effugiunt, sed conjuncta movent, nullum esse principium nullumque finem.

De perpetua rerum mutatione. — Quid enim nasci vel perire vocas, nisi coalescere aut dissolvi (1)? Sic quæque fiunt particularum adjunctione augeri vides, atque earumdem solutione decrescere. Nonne autem multæ sunt res per quas tenuissimarum partium fit effluvium ita perpetuum, ut ipsæ omnino mutentur novisque ex elementis constent? Post autem hanc supremam mutationem quam mortem dicimus, non corporis materies

(1) Empedocles, edit. Karstein, 77-82.

ad nihilum redigitur, sed disjuncta ad alios concursus, aliasque res formandas vel reparandas, convertitur. Quare merito dictum est in mundo mortem e vita nasci, atque e vita mortem, et nullam esse æterni motus requiem, nullam semper vivæ naturæ exstinctionem.

> Haud igitur pereunt quæcumque videntur :
> Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
> Rem gigni patitur, nisi morte adjutam aliena (1).

Ut autem nos simulacra, quæ nobis res manifestas faciunt, non ipsa singula sensibus percipere possumus, ita elementa, quibus convenientibus aut sese disjungentibus, res omnes esse incipiunt aut desinunt, sensibus cernere nequimus.

> Omnis enim longe nostris ab sensibus infra
> Primorum natura jacet (2).
> Primordia tantum
> Sunt infra nostros sensus, tantoque minora,
> Quam quæ primum oculi cœptant non posse tueri (3).

Nihil autem certius quam in natura aliquid esse certi, quod neque animum decipiat neque res inanes esse patiatur. Nihil certius quam esse aliquid solidum, quod in omni rerum vicissitudine non mutetur neque pereat, sed semper idem simplexque maneat ; quod nullis partibus constet, idem et tenuissimum, neque dividi neque dissolvi possit ; quodque ubique et semper

(1) Lucret., I, 263-265. Cf. II, 1004-1008.
(2) Id., II, 313-314.
(3) Id., IV, 109-112.

per spatium infinitum ex æterno tempore moveatur, omnia certo ordine creaturum et renovaturum.

De corporibus primis et inani. — Fatendum est igitur esse corpora quædam solida, prima et æterna (1), sine quibus nihil esse potest, et quæ collata rerum naturam efficiunt. Quæ primordia sint cæca (2) necesse est: etenim, ut sensus effugiunt, sic nullo sunt sensu prædita; imo cur res quæ sunt, et non alias, crearint, nulla causa apparet rationi approbanda. Tantummodo quod sensu cognoscere possumus, quamdiu existit, pro vero bonoque habendum. Nihil, ultra quod corpore constat, sensus movere aut quidquam sentire potest.

Nulla igitur ratione illustrata voluntas (3) materiæ particulis et motum et sensus et quas induunt formas sponte sua dat et adimit. Contra corpora prima solo suo pondere moventur, et diversis rerum formis ipsa ortum dant.

Sic de initio motus et de origine rerum non multa narranda. Corpora cæca, quibus nihil subest neque obstat, cadant necesse est recte deciduo lapsu (4). Qui lap-

(1) Id., I, 540-551.

(2) Id., II, 864-869 ; II, 906-917 ; II, 962-971 ; I, 914-19.

(3) Id., II, 167-181.

(4) Id., II, 184-215; I, 1051-1066. Lucretius negat ullum esse corpus quod seorsum feratur, ne flammam quidem vel fumum, et fabulis adscribit quæ de hominibus feruntur sub pedibus nostris oppositam terræ partem habitantibus, quasi ad medium, non ad imum, omnia tenderent.

sus, omnium quæ fiunt principium, ipse materiem non undique stipatam esse requirit.

> Quapropter locus est intactus inane vacansque,
> Quod si non esset, nulla ratione moveri
> Res possent.

Imo sine inani nulla esset rerum natura :

> Si nullum foret, haud usquam sita corpora possent
> Esse.

Inane igitur, quod omnia continet, in quo fit omnium lapsus, suprema apparet conditio, ultra quam ire nefas, et quæ toti rerum ordini præsidet. Per illud enim solum possunt rerum elementa congregari atque sejungi, res ipsæ certis intervallis certisque formis distingui. Per illud, quæ sine eo immobilis infecundaque jacuisset materies, ne rudi quidem indigestæque moli similis, vivere incipit, atque, mira fecunditate exuberans, res diversissimas producere. Ergo, nisi in inani sese expandat, aut inane intus suscipiat materies, nescio quid sine vita, sine forma, sine anima, sine sui conscientia, et quod re vera non concipi neque esse queat, æternum sit necesse est.

Ne dicas tamen res e nihilo creari. Negat enim Lucretius mundum esse formam omnino inanem, quam quidam intus spiritus alat ipse inanis; verum pronuntiat ipsa sine inani esse primordia, quibus vere constat rerum natura.

De clinamine.— Objicias tamen tibi non apparere quomodo corpora solida et cæca, de quibus nihil amplius dicere queas, nisi ea innumera perpetuo motu deorsum

ferri, diversissimas induant figuras, quæ tibi sunt cognitæ et quæ mundum constituunt et exornant. Unum est responsum primordia misceri, non quod alia, aliis citius cadentia, gignunt plagas et genitales motus, quippe per inane omnia ponderibus non æquis æque concita ferri certum est (1); sed quod declinatione minima, quæ, ut ipsa rerum elementa vel simulacra, nostros sensus fugit, quædam corpora aliis a latere offendunt (2), atque illam subito movent debacchationem naturæ, omnia vicissim creantis, sine intermissione moritura atque omnimodis renatura.

Urges tamen et scire vis quam rerum seriem in hoc infinito innumerorum corporum concursu sequi et comprehendere possis. Cui toti capiendæ impar est tua mens, quæ angusto temporis et loci spatio arctatur. Tantummodo ne obliviscaris quod est fine carere, atque id tantum quod fit, et cujus pars es, fine modoque includi; nihil in ipsa materia esse dissimile, nihil autem simile in rerum natura. Quid igitur primum factum sit, quid sit postea faciendum, minime apparet tibi æterna elementa vel præsentem eorum congregationem contemplanti. Nil enim agnoscis, nisi ex iisdem corporibus, prout eorum numerus, dispositio, positura, ordo et figura (3) mutentur, diversissimas res constare; haud aliter ac si quis litterarum elementa aut ipsas litteras vario numero et

(1) Id., II, 225-242.

(2) Id., II, 216-224, 243-250.

(3) Verba quibus ipse Epicurus in libro Περὶ φύσεως utitur sunt : θέσις, τάξις, σχῆμα et διάστημα.—Empedocles, edit. Karstein, v, 150-164.

ordine scripserit, diversissima eum significasse intelligas (1). Quodcumque tu hodie mente amplecteris, tui ipsius instar, est aliquid temporis et spatii puncto terminatum, quod ultra citraque nullam rerum formam attingere potes.

De homine. — Tu ipse, cui res cognoscere datur, aliquid es, nescio quibus elementis conflatum, quamdiu ea non dissolvantur duraturum; et, quemadmodum nescis quam tota ea, qua circumdaris, natura formam prius induerit, atque postea sit indutura, ita ignoras quid ante tuum ortum fuerint, et quid post mortem tuam futura sint elementa, quibus animus tuus constat. Conscientiam quidem tui claram et distinctam habes, quippe quod animum vocas non cum anima (2) neque cum cæteris tui partibus (3) confundas, quod tui totius proprium agnoscis non singulis partibus tribuas (4), quod contra æternis quæ tibi insunt corpusculis referendum putas, non tibi ipsi ut proprium vindices. Quæ vero justa tui conscientia tibi felicitatis conditio. Nempe, dummodo nihil ultra quod natura tua vult et patitur reformides aut speres, dummodo te non aliquid esse fingas omni lege, omni corporum concursu liberum, quod trans mundi terminos possit evolare; dum, contra, quidquid tibi rerum natura affert æquo lætoque animo feras, quid amplius

(1) Lucret., I, 906-913; II, 1014-1021. Cf. Aristot., Metaph., I, 4; De Generat et Corrup., I, 2.

(2) Lucret., III, 137-161.

(3) Id., III, 94-97.

(4) Id., II, 972-989

tu homo possis desiderare? In natura enim, non in te, tuum principium tuusque finis. Totum te naturæ permitte, meliorem, quam tu habere possis, tuæ utilitatis curam habituræ. Quod enim rationem vocas, nihil est nisi naturæ species; quod rerum scientiam, nihil nisi quam natura sui conscientiam in te, qui ejus pars es, esse jubet.

Sic, duce natura, ad bene beateque vivendum facile pervenies, si memineris

> Corporea natura animum constare animamque (1).

Hoc est noscere te ipsum. Nihil amplius tibi quærendum. Parvi enim est momenti ab animo animam diligentius distinguere :

> Nunc animum atque animam dico conjuncta teneri
> Inter se, atque unam naturam conficere ex se;
> Sed caput esse quasi, et dominari in corpore toto,
> Consilium, quod nos animum mentemque vocamus;
> Idque situm media regione in pectoris hæret.
> Hic exsultat enim pavor ac metus; hæc loca circum
> Lætitiæ mulcent : hic ergo mens animusque est.
> Cætera pars animæ, per totum dissita corpus,
> Paret, et ad numen mentis momemque movetur (2).

Quum vero tenuissimis corporibus, rotundis atque lævibus, animus et anima pariter constent,

> Tu face utrumque uno subjungas nomine eorum;
> Atque animam, verbi causa, quum dicere pergam,
> Mortalem esse docens, animum quoque dicere credas;
> Quatenus est unum inter se, conjunctaque res est (3).

(1) Id., III, 168.
(2) Ibid., 137-145.
(3) Ibid., 422-425.

Nempe quæ inter se ita arctissime conjuncta nihil aliud sunt quam aliquid multiplex, vapore, aere, calore atque alio quodam corporis genere (1) conflatum, idem et morte solvendum. Quum vero, bona mortis spe plenus, et sortis tuæ vere conscius, eadem tibi, quæ cæteris rebus, elementa inesse sentias, quid tibi melius esse queat quam communes naturæ leges tota mente quærere inventasque amplecti, ea quæ te decet, et quam ferre potes, virtute contentum?

Hæc quasi ultima sit vox Lucretii, de hominis natura et fine disserentis, necesse ésse videtur. Nemini enim mirum, contra reliquæ ejus doctrinæ consentaneum judicetur, quod nos suadeat, cognita natura contentos, ei patienter servire, et, quale jusserit, cum ea commercium servare, motus æterni omnia, atque etiam animum nostrum, perpetuo regentis memores.

De voluntate et de summo bono. — Non ita autem se res habet. Quippe quod ipsum animi nostri principium esse aliquod sine nomine corpus pronuntiavit Lucretius, id imposito cæteris rebus imperio teneri negat. Quid enim ei profecisset ignotorum deorum jugum quasi a cervice excussisse, ignotorum corpusculorum dominium

(1) Ibid., 238-243.

> Jam triplex animi est igitur natura reperta ;
> Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum :
> Nil horum quoniam recipit mens posse creare
> Sensiferos motus, quædam quei mente volutent.
> Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
> Attribuatur : ea est omnino nominis expers.

subituro? Oportet autem omnino liber erumpat, omni lege, vel necessitate, omni ratione vel fato solutus. Oportet totus sui compos fiat, atque profunda quiete fruatur, quam nihil turbare possit. Procul ergo a se, ut alienum, simul et divinam qua cuncta regerentur voluntatem, et corporeas, quibus ipse omnia referenda esse confessus est, vicissitudines amovet et repudiat, affectaturus, ut suas, sedes et diis et ipsa natura vacuas, ubi ipsi tandem soli et immoto vivere detur. Hæc sunt

> Edita doctrina sapientum templa serena.

Quæ non capit rerum natura, quam ipse Lucretius principium et finem modumque veræ doctrinæ esse dixit, quam nobis solam cognoscendam et colendam præscripsit, in qua denique nosmet ipsos totos continere jussit. Quæ templa ut adeamus aditaque teneamus, nobis inest libera,

> fatis avolsa voluntas,
> Per quam progredimur quo ducit quemque voluptas,
> Declinamus item motus, nec tempore certo,
> Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens (1).

Quemadmodum enim corpuscula, quæ, imbris uti guttæ, deorsum recto cursu ferrentur, ad res creandas aliqua declinatione egent, quæ ea, ut ita dicam, intra mundum formandum conjiciat; sic homo voluntate eget, quæ eum extra formatum eumdem hunc mundum quasi con-

(1) Id., II, 257-260.

jiciat nulla jam plaga movendum, nihiloque mutandum. (1)

Hic vere est epicureæ sapientiæ finis, vitam rebus immixtam damnantis, atque summum bonum non voluptatem, quæ grata est mutatio, sed perfectam et absolutam, quæ sit immutabilis, requiem declarantis.

Quæ autem ad hanc requiem, ad hoc summum bonum, nos via certius ducit? Nulla alia quam libera voluntas. Sed quid nos velle decebit? Velle enim non satis est, nisi aliquid velimus. Hoc autem propositum ad quod tendat voluntas, nulla forma, nulla figura est indutum, quippe quod neque rerum natura monstrat, neque ratio cernit; non est igitur intra res quæ sunt et quas cognoscimus quærendum, sed extra rerum naturam, ubi nihil præter inane.

Sin autem ibi locus nobis optime conveniens et quasi vera patria, quare nos aliquem istius mundi in quo exsules retinemur respectum habeamus? Quare istam rerum naturam, quam non nostrum est possidere, sed repudiare, sensibus nostris et tota nostra mente haustam velimus, quasi nos ei melius accommodaturi, atque vita amplius fruituri (2). Unum bonum est non vivere. Felices quos vix ad lucem editos opportuna mors vitæ supplicio liberavit! feliciores autem quos nunquam funesta ea vivendi necessitas oppressit!

Quicumque sis ergo, qui rerum naturam vitamque

(1) Cicer., De Nat. deor., I, 20. Vide quæ Epicuri discipulus stoicis, quidquid accidat, id ex æterna veritate continuaque causarum serie fluxisse dicentibus, objiciendum putet.

(2) Lucret., III, 925-931.

humanam intrare coactus es, neutram cognitam velis, nisi quam magis contemnas atque relinquere festines; ad mortem, ad inane confuge. Solum enim inane quietum, sola mors immortalis. Hæc sit tua spes, hic tuæ voluntatis finis.

Si quid scientia potest, te misero æternum vivendi metu liberabit, te non vitæ, sed mortis, amantem faciet, ut his in terris mortuo vivas similis, quem te mox futurum pro certissimo habere jusserit.

De morte. — Sic igitur Lucretius videtur ob hoc tantum ad intimam rerum naturam descendisse ut certius posset, Epicuri exemplum secutus, « trans mœnia mundi » evolare. Etenim, vitæ miseriarum horrore, vitæ exitum quæsivit, exultavitque tantum reperto, ut, certæ æternæque mortis fide jam contentus, nihil amplius scire aut docere vellet. Hinc quasi partes humanæ gentis acturus, mortis sperandæ amandæque rationes accumulat, omnesque philosophiæ vires et carminum illecebras, ad animos tali spe et tali amore implendos victoriamque hanc obtinendam adhibet (1).

Itaque deos, id est illud quo nihil majus concipimus, negat esse quod vita fruatur mundumque crearit et contineat, atque ita nos nostraque æternam ad vitam servare possit. Contra, pronuntiat quod deos nominamus esse in inani, atque ibi æternum immotumque manere, mundum autem non e nihilo, id est e diis, sed per se

(1) Ibid., 418-1107; VI, 1113-1285. Partis descriptione qua suum poema concludit, ad id unum tendere videtur, ut, vitæ amoris loco, vitæ horror lectoris animo inficiatur.

ipsum, id est corporibus primis, existere. Illud, quo nihil majus, est, et non vivit. Mundus autem vivit, et non est. Qui nos ad id, quo nihil majus, tendere agnoscimus, qui nos diis similes arbitramur, non in eo quod vivit, sed in eo quod est, non in mundo veris diis vacuo, sed extra mundum apud ipsos deos, principium finemque nostrum esse confiteri debemus.

Non e nihilo mundus oritur, quia non vere est, atque aliud in eo quam inane. Inane autem perfectum et absolutum non est tantum diis atque hominibus locus, in quo sunt, sed totum ex quo constant. Non ibi igitur rerum naturæ quærenda origo, ubi homines et dii soli esse possunt.

Sinamus ergo mundum continuis mutationibus malisque tradi. Illius est vita damnari. Nostrum est e nihilo venire, ad nihilum reverti. Nostrum est esse in inani diis similium beatis.

PARS CRITICA

Scientiam humanam certis finibus esse continendam testantur et quod verum et quod falsum in Lucretii doctrina. — Natura nos certis inclusit finibus quos perrumpere frustra conaremur. Quæ lex et animum et corpus vincit. Quemadmodum enim sunt, infra supraque terrestre quod colimus solum, loca quibus rarior deficit aer, atque ubi spirare non licet, sic, infra supraque certas eas regiones, ubi crescit animi nostri pabulum, sunt obscura spatia, quorum nihil cernere, nihil intelligere nobis fas est. Una igitur et eadem est homini bonæ valetudinis et scientiæ conditio, scilicet funestam sui ignorantiam atque superbiam inanem exuere, quo firmius et sano corpore et sana mente fruatur.

Pars igitur est sapientiæ, et præcipuum bene beateque vivendi fundamentum, nescire quædam, atque necessariam nostram multarum rerum ignorantiam agnoscere. Aliter enim quæ nescimus scire putaremus, vana specie decepti aut temeraria imaginandi vi abrepti. Non qualis est, sed qualem eam esse fingeremus, nobis rerum natura appareret, neque ullum discrimen inter mentitam et veram rerum cognitionem faceremus. Inde obscura nasceretur confusio, in qua omnia misceri et fluere et evanescere viderentur.

Quod nunquam effugies, nisi rearis non interrogationi cuilibet tuæ esse responsum, quod obtinere queas, sed contra esse quædam de quibus pronuntiare æternum tibi abstinendum est. Quæ ignorantiæ conscientia, qua ad veri indagationem ducimur et quæ scientiæ initium recte dicta est, eadem scientiæ finis merito dicatur, quippe quæ nos in vero invento retineat, neque ab eo dejici sinat (1).

Intra hunc finem et illud initium tota philosophia contenta versetur necesse est, aut turpiter similis fiat mirando isti doctori, de omni re scibili et de quibusdam aliis loqui parato. Hæc quædam nescire se fateatur, aut vana arte inanes exstruit doctrinas, quibus nihil in rerum natura subest, quæ mentem fallunt, non alunt, et propter quas scientiam humanam apud plerosque male audire, imo damnari videas. Non absoluta, sed finita, non divina, sed humana doctrina esse velit; hac sola lege et esse et prodesse potest.

Cujus duplex argumentum, in ipso De rerum natura poemate, nobis præbet Lucretius : unum in ea operis parte in qua tam vehementer in religionem invehitur, alterum in ea dogmatica carminum suorum parte, in qua primam et unam rerum omnium rationem invenisse se profitetur. Etenim iis quas impugnat doctrinis id unum objicit, quod humanæ mentis terminos transgredi voluerunt, atque hominem in diversissima mala præcipitem dederunt. Ipse autem proprio exemplo manifestum facit nihil esse periculosius quam effrenatum amorem scien-

(1) Vide apud Platonem *Socratis Apologiam*.

tiæ perfectæ et absolutæ, omnia a principio explanantis. Postquam eos damnavit quibus nihil abditum, et qui omnia « in cœlo et in terra », « in vita terrestri atque in altera », scire se profitentur, ipse non dubitat primam mundi originem, atque supremam qua omnia fiunt causam, sibi cognitas declarare. Sive autem quæ alii ædificaverant destruat, seu ædificare tentet quæ ab aliis facillime destruantur, testatur esse modum humanæ scientiæ, certosque fines

Quos ultra citraque nequit consistere *verum*.

Primum recte dicit Lucretius ab ignorantia, divinas et cæteras res miscente, omnia mala oriri.—Primum veræ scientiæ, justæ erga Deum pietatis et rectæ moralis disciplinæ patronum sese fert Lucretius, dum iis adversatur qui, omnium rerum ignari, ficta numina colunt, atque stulti perversos mores amplectuntur. O miseras hominum mentes, iterum atque iterum dicit, quos in tenebris pavitantes omnia turbant et decipiunt, quos ratio sola ad bene beateque vivendum ducere posset! Dum putant scire quod ignorant, omnia quæ fiunt ad Deum ignotum referunt. Quot causæ eos latent, quot eventus iis perniciem minantur, tot horrent atque venerantur deos, diversis nominibus distinctos. Quid autem Deum vocant, nisi nescio quid infinitum, omni lege solutum, nulla voluntate, nulla forma distinctum, quod vero omnia et velle et facere, prout libuerit, æque potest? Quod autem deorum discrimen faciunt, apud quos omnes eadem divina omnipotentia? Quæ ea absoluta natura, diis omnibus communis et singulis propria, nisi quod nullo

modo capere aut definire mens humana valet, et quod tamen secundum sui ipsius aut rerum externarum notitiam capere et definire temere tentat? Quem enim deum non aliqua hominis aut rerum figura indutum fingunt, testibus Minerva et Apolline, Neptuno et Vulcano, Sylvanis et Faunis, teste ipso Jove, quem interdum neque auri neque tauri pudet?

Quod si divina natura est aliquid tam fluxum, tam sibi contrarium, quid de deorum erga hominem voluntate, quid de divina lege putandum? Quomodo enim certis includatur modis voluntas quæ nullos patitur? Quomodo agnoscatur lex, quæ non una et simplex sit, sed omnia in se contineat? Nonne autem dicendum quidquid dii, modo somniantis, finxere, pariter fieri posse, atque nullam esse spem, nullum metum, quibus non homines semper laborare debeant. Quippe quod bonum vocamus non jam est quasi æterna et necessaria lex, quæ Deum certo uno et eodem vinculo alligat. Non quod bonum est Deo placet, sed quod Deo placet bonum est. Sic Deus figit leges atque refigit, nullam sententiæ suæ rationem redditurus. Nos, ut omnia, in illius manu sumus, qui nos aut miseros aut felices faciat. Nulla certa via illius placandi, aut nostrummet ipsorum nostra virtute juvandorum. Quum omnipotens et infinitus Deus, omnium rerum origo et finis, nos fugiat, quid superest quod veluti certum propriumque teneamus? Omnia autem evanescere nobis videntur; jam nescimus unde ortus noster, ubi finis, qua lege vivamus et moriamur, quod nostrum præcipuum munus, quid tranquillum faciat ani-

mum, quæ sint et scientiæ et felicitatis conditiones.

Quo fit ut non solum quos non novimus deos male colamus, sed etiam nostrummet ipsorum ignari male vivamus. Etenim, quum, rerum quas cognoscit immemor, animus totus in abditarum causarum contemplatione versatur, atque ad id tantum quod intelligere nequit totas intelligendi vires intendit, necesse est, omni ratione et omni duce destituti, temere ad id feramur quod sensus allicit, aut, falsis imaginibus territi, omnia quæ horremus mala a quocumque numine deprecemur. Hæc sola vitæ utilitas, hic solus finis, ut oblata voluptate fruamur, vel deorum aras precibus fatigemus. Vitam ita jacentem et submissam contemnimus atque damnamus; imo velut alienam atque malam repudiare ac relinquere volumus.

Quum enim vitæ humanæ ratio non in nobis, verum in Deo, non in lege cognita, verum in voluntate æternum abdita, quærenda sit, quid reliquum, nisi credamus veram nos vitam manere in regionibus infinitis, ubi nullæ sunt res, nullaque temporis et loci mensura, ubi solus Deus ignotus residet. Fit igitur vita meditatio non vitæ, sed mortis, non rerum felicitati nostræ melius accommodatarum, sed temporis ignoti, ubi nihil jam velle neque facere nobis licebit. Quod non sumus, quod his in terris non esse possumus, quod post mortem futuri sumus, perpetuo nostræ menti obversatur; quod proprium nostrum est negligimus et fastidimus.

Quot autem mala peperit deorum timor, tot parit timor vitæ futuræ. Etenim, velut in limine æternitatis, necesse est aliquid perditæ menti appareat. Ibi sub forma

multiplici, quo minus distincta, eo magis terribili, ubique dominatur vis omnipotens. Quomodo autem in has regiones facilem aditum a portentosis iis numinibus obtineas? Num illorum ignotæ voluntati satisfactum? Num illorum gratia natura humana satis exuta? Nonne nimium tibi et societati vixisti? Quid vero bonorum istorum die mortis superest? Quid, nisi sola mors, sola omnium rerum exstinctio? Heu! vana humanitate indutus in æternam vitam, quo nihil humani intrare fas est, admitti te posse putabas. Voluisti agere hominem : hominem egisti. Quid vero amplius tibi jam sperare licet? Tibi animi atque corporis sanitas maximi pretii visa est: illa fruitus es. Jam est corrupta. Nihil hodie te manet, nisi, quod in vita possidere gaudebas, æternum tibi ablatum sentire. Quo redis, nisi ad deos, qui tibi præter vitam omnia adimere possunt, quæ nimium adamasti? Væ tibi! Sunt invidi illi dii, quorum hodie in manum cadis, et quibus, dum poteras, non omnia illa posthabuisti, quæ tua propria credebas, et quæ hodie te deserunt moriturum. Quod mortem dicis est aliqua imago deorum, te omni re spoliantium, et te continua hac spoliatione vivum et sentientem torquentium. Vive igitur mortis semper memor, quæ te mox invida, ineluctabilis, inexorabilis, tenebit. Et, dum potes, mortem, id est deos, placaturus, ipse in te destrue quod, paucis diebus servatum, æternum destruatur. Te, quantum in te est, opportuna adulatione morti similem facias, quam omnipotentem tui postea misereat. Quemadmodum enim sub omni rerum natura, quæ sempiterno motu et perpetua mutatione constat, nihil nisi deos agnoscis; ita sub morte, quam melius novam vitæ

formam dixeris, nihil videas necesse est, nisi deos omnia servantes æternum mutanda.

Inde tibi viventi et morituro constans obversatur metus ignotæ et necessariæ mutationis, quam diis jubere placuerit, et quæ te nunquam tui compotem vereque felicem esse sinat. Inde perversio simul et sanæ erga deos pietatis, quos violat qui de eis tam falsam opinionem habet, et rectæ morum disciplinæ, cujus nullum respectum habet qui, sui ipsius inscius, non propriam vitæ regulam intimo corde gerere se sentit.

Duplicis hujus mali fontem unum agnoscit Lucretius: ignorantiam superbam, quæ nihil esse certi, nisi incerta voluntate res creari et gubernari, pronuntiare non dubitat, atque, nostrummet ipsorum præsentisque temporis incuriosa, ad id tantum respicit quod ante humani generis ortum factum sit, aut quod post nostram mortem, quum ipsi singuli esse desierimus, sit futurum.

Quoscumque deos esse credant, nihil, inquit, eos esse arbitrantur, nisi omnipotens et multiplex numen, a quo omnia veniant, ad quod omnia revertantur. Quomodo autem agat illud numen, nemini notum. Illius, ante rerum ortum creatoris, aut post hominis mortem judicis, semper est pro ratione omnino libera voluntas. Quod si credas, extemplo tibi vita et mors, perpetuis terroribus obsessæ, te faciunt misero ei similem,

> Mortua cui vita est prope jam vivo atque videnti.

Quis enim audeat vitam humanam colere, quis velit per se aliquid esse, quum nihil possit, nisi auxilio invidorum deorum, qui totum sunt, qui totum esse volunt?

Quis certum habeat se eam sequi viam quam jusserint, id facere quod iis acceptum, neque contra credere aut velle quod iis sit ingratum? In tanta igitur ignorantia atque imbecillitate, nihil melius quam se totum diis permittere, propriæ utilitatis oblitum, quam ab iis et consilium et auxilium implorare, donec quid sibi placeat manifestum faciant.

Dum tantis homines terroribus oppressi ad aras confugiunt, legem aliam quam humanam quæsituri, vox sæpe auditur quasi divinitus emissa quæ ritus et sacrificia imperat. Nequidquam autem cæci divinam legem amplectuntur, quam inimicam atque damnatricem horrent, et cui adeo non animi pacem debitam referre possunt, ut contra ab ea in novam desperationem inducantur.

Nihil igitur funestius recte concludit Lucretius illa religione, ignorantiæ filia, quæ nos incertum ignotumque aliquid venerari et reformidare jubet. Documento sit horror fulminis, cujus causam primum ignorabamus, et quod tunc velut in ipsa irati dei manu posuimus. Documento quoque sit horror alterius vitæ, in qua alii cuilibet deo æternum fulminanti tradi nos putamus.

Quod si tantummodo sustineamus scientiam colere humanam, id est quæ distincte cernimus distincte cernere, et quæ nescimus nos nescire fateri, non ita vagi per loca tenebris et terroribus plena erraremus, sed clara luce ad bonum tranquille incederemus.

Sunt enim alia Dei, alia rerum notio, quas ne confundamus, perpetuo errore damnandi, præcipue et omni opera cavere debemus. Oportet separatim Dei et rerum

naturæ scientiam quærere : nam aliter, qualis rerum naturæ, talis deorum notitia sit necesse est. Non ergo stoicorum more dicamus mundum deos in se continere et totum esse; sed potius pro certo teneamus mundum totius partem esse (1), et deos extra imperfectum mundum perfectos vivere. Quum enim in mundo nihil boni, nihil necessarii videamus, quæ rerum naturæ implicata fingimus numina, nulla certa bonaque lege teneri fatendum sit; nihilque et in mundo et extra mundum esse, nisi infinitam ignotamque voluntatem, quæ nos nihil velle aut facere jubeat.

Nempe qui legislatores dii, quorum natura est incerta legesque contrariæ? Quod humanum munus, quod capere non possumus? Quis finis in eo quod infinituum est? Quis modus, quæ regula, quum omnia sunt omni modo, omni necessitate soluta? Quid denique homini conveniens extra quodcumque humanum novimus?

Qui igitur istorum deorum nomine loquuntur nos jubent pro noto ignotum, pro proprio alienum, pro bono gratoque malum atque ingratum amplecti, atque rationi nostræ ita diffidere, ut eam a primis partibus, quæ ejus sunt, ad infimas relegemus; denique omnia propter quæ vivimus deserere, et nosmet ipsos omnibus viribus perdere. Quæ non plus quam humana, sed inhumana, non divina, sed impia doctrina vere dicenda est.

(1) Epic. ad Pytheocl. Seg., 88.
« Mundus est quædam cœli complexio astra et terram et omnia conspicabilia continens, portionem ab infinito accipiens et in terminum desinens vel rarum vel densum. »

Rursus recte dicit Lucretius Dei scientiam et rerum scientiam esse non posse, nisi distinctas. — Nempe, ait Lucretius, nihil excogitari potest ratione superius, quodque potius quam eam colere debeamus. Quam autem si tanquam incertam et malam repudiaverimus, nihil certi bonique retinere poterimus. Hanc igitur tota mente et quasi nobis cum veris diis communem amplecti et colere et venerari necesse est. Nam, si ratione non utitur Deus, Deum non esse; si vita rationi consentanea non homine vere digna est, bonum non esse, atque simul omnem deorum et morum doctrinam evanescere, fateri oportet.

Ratio, utriusque hujus scientiæ fundamentum, nos in vita secundum naturam acta et Dei cultum et nostrum finem includere vult. Sic quod et in nobismet ipsis et in humana societate et in omnium rerum ordine bonum noverimus, vel amabile senserimus, certa fiducia et læta spe prosequimur. Ratione institutus homo non jam erit rerum humanarum contemptor, et ignotarum expectator, neque, ipse sibi adversus, vitam suam quasi alienam damnabit; sed, omnium rerum quæ sunt justam æstimationem faciens, viam suam constanter beateque sequetur. Tunc enim eadem et homine, et Deo, et vita præsente, et vita æterna ut indigna respuet, neque, inter humanam et divinam legem distractus, sensibus tantum aut animi terroribus parebit. Quum vero legem humanam divinæ legi, præsentem utilitatem æternæ utilitati mire respondere agnoverit, non veluti servitutem et pœnam vitam ægre patietur, sed, liber et beatus, quam

ratio et dii certe approbent, vitam in summa pace deget.

Quæ scientiæ beneficia propagare vult Lucretius. Ideo tantis laudibus extollit Epicurum, qui ignorantia et religione homines liberaverit atque vere felices reddiderit, et graii hominis opus cum romana gente communicare molitur. Ipse remedio illo usus est, et, ad sanitatem restitutus, et ad templa serena doctrina sapientum edita ipse evectus, iterum atque iterum clamare videtur, quod postea de ipso dicet alter vates :

> Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
> Atque metus omnes et inexorabile fatum
> Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari (1)!

Est enim felicitas vere homini et Deo communis ratione sola gubernari. Nil aliud de Deo affirmare possumus, nisi in eo quodcumque bonum verumque est contineri. In hoc omnes omnium temporum philosophi consentiunt, et præcipue Epicurus.

Documento sit Metrodori de sensationibus liber, objicientis stoicis quod Deum ad omnia vel minima descendere jubeant, neque sola ratione contentum agnoscant.

« Deus habet formam qualem cæteri philosophi, præter stoicos, ipsi attribuunt. Omnino enim agnoverunt Deum neque sphærarum vel astrorum motibus implicari, neque judicia et dispositiones ad iracundiam et ad querimonias de parvis rebus habere ; sed etiam ipsum

(1) Virgil., Georg., II, 490-492.

habere formas erectas in sublime, et dispositiones ab omni humilitate abhorrentes, totas autem conversas ad vitam beatam atque a negotiis liberam agendam (1). »

Etenim stoici omnia quæcumque sunt Deo referunt; Epicuri autem discipuli nolunt Deo referre quod varium et mutabile, quod imperfectum malumque. Illi negant malum quidquam esse quod vere sit; hi putant illud revera et per se existere. Illi nullum discrimen in bono, hi multos esse gradus profitentur. Quippe apud stoicos major Dei respectus, quem ubique in mundo inveniunt; apud Epicuri discipulos major mundi respectus, quem Deo omnino vacuum declarant. Inde opposita utriusque scholæ conclusio : una nos Deum intra res et in hac vita agnoscere atque colere jubet; altera autem extra res, et ubi mundus et vita humana deficiunt.

Epicurei igitur, quum arbitrentur nihil jam esse certi, si malum cum bono, et ea quæ causis fiunt physicis cum iis quæ moralia sunt confundantur, Deum volunt esse a mundo alienum, hominique tantum ratione utenti similem; atque, quum constare videatur nulli alii formæ, quam humanæ, rationem inesse, Deum hominis forma indutum fingunt, quasi ea amissa rationem quoque amitteret, ad nihilum redactus (2).

(1) Herculan. volum. quæ supersunt, lib. VI. — Metrodori De Sensationibus, col. 21.

(2) Haud alio argumento utitur Bossuetius in suo *De Dei atque sui ipsius cognitione* tractatu, quum animi immortalitatem probaturus hæc verba adhibet: «Quod si corpore eget animus noster, qui natus est ei conjungendus, divina lex vult inferiora quod superius est ad se trahere, et Deus potius habebit animo suum corpus restituere

« Ac, si rationem non habemus in alia forma nisi in humana, manifestum est etiam Deum humana forma præditum oportere relinquere, ut cum ratione consistat (1). »

Si non eadem tam clare et tam distincte dicit Lucretius, eadem tamen sentire videtur. Quis enim edita doctrina templa quæ sapienti assignat non cum regionibus iis conferat quas poeta deorum ut sedes depingit? Cæterum hac parte inchoatum liquit opus, et quæ explere promiserat (2) non perfecit.

Quæ autem contra creationem ex nihilo et Providentiam argumenta aggerit, testantur solummodo Lucretium non velle pro ratione summa et perfecta agnoscere quod ratione caret, neque pro divina lege quod nulla certa lege regi videtur, neque pro vero quod ignotum et fictum aperte dijudicat. Ideo non ad rationem qualem eam in nobis invenimus, id est morali proposito applicatam, referenda putat quæcunque fiunt; sed omnia ratione carentia et nulli morali fini accommodata, quasi alia et propria lege existant, non ad Deum, sed ad naturam solam referre vult, nihil ultra singulos effectus justumque eorum ordinem quæsiturus. Unum enim nostrum interest, mundum contemplantium, cognoscere quo res modo sint, quibus inter se vinculis jungantur, quam nobis utilitatem conferre queant et qua arte eis ad bene beate-

immortale, quam pati animum, corpore amisso, imperfectum jacere. »

(1) Hercul. volum. quæ supersunt, lib. VI. — Metrodorus, De sensationibus, col. 11.

(2) Lucret., V, 156; II, 182.

que vivendum melius utamur. Quod paulatim lenta observatione, longa indagatione et multa rerum experientia discimus. Quod est opus multiplex, non unius sed multarum ætatum, ad quod non temere diversas cognoscendi vires adhibendæ sunt.

Nequidquam enim, cognita, quam in Deo et in nobis eamdem esse putamus, ratione, inexploratam rerum naturam explanare tentemus. Nihil rerum Deique scientiæ funestius quam fingere quosdam fines ad quos omnia a creatore fuerint relata. Quippe quod scientiæ non adjumentum, sed impedimentum sit. Sunt enim res solæ quæ causas sufficiunt, atque causæ omnes, quæ rebus monstrantur, non æque rationi approbari queant. Quam multa eveniunt quæ non ad mores pertinent, et quæ absurda videantur, si nulla sit alia lex quam quæ regit vitam humanam! Igitur concludendum est aliud principium, quam quod nobis præsidet, rebus præsidere; et, quemadmodum Deum non cum omni re, quæ est rationis expers, confundimus, ita non dici posse, secundum hanc rationem, quam in nostra mente cognitam ad Deum transferimus, omnia fieri.

Sunt igitur, ut Baco dixit, causæ finales virgini similes nunquam pariturǽ. Imo ne omnia misceant timendum est. Quid enim commune inter justitiam sapientiamque summi numinis et formam coloremve ursi aut leonis, rosæ aut hyacinthi? Cur sint ut sunt plantæ atque animalia, rationem nullam reddere possimus. Quid quoque commune inter fulminis fragorem et humanæ societatis gubernationem? Non igitur inter insignia Dei, qui totus ratio est, fulmen relinquendum. Physica scientia a morum

doctrina est attente sejungenda. Utraque alteri immixta non prodesse, sed nocere potest.

Quod principium rerum physicarum invenimus, est tam alienum ab intellectu et voluntate quam ipsa virtus a vitio. Porro æquum est non rationi tribuere quod ratio sola non jussisse videtur. Cartesius potuit de ea, quæ homini inest, ratione dicere, illam divinum signum et quasi notam a summo artifice operi suo impressam. Num idem dicere potuisset de corde aut pulmone? Rationi consentaneum est totum parte majus esse; non velle quod fieri non potest. Quid autem rationi consentaneum anni tempestates quatuor sint, an plures, atque ipsi quinque sensibus an pluribus simus præditi? Cæterum paucæ sunt causæ finales, innumeræ autem viæ quibus ad eas perveniri potest. Non apparet quare per unam potius quam per alteram vis creatrix incesserit, quare ad hunc potius quam ad illum finem pervenire tentaverit. Quod enim est multiplex et varium non a ratione simplici et immutabili procedere potest. Ubi necessitas apparet, causæ finales a priori concipi possunt; ubi contingentia, non possunt nisi experientia cognosci (1).

Interest igitur et veri et morum non ea quæ ratione cum iis quæ alia causa fiunt miscere, neque scientiam quæ filia temporis cum ea quæ, velut Minerva, hominis mente extemplo nascitur confundere. Aliter enim physica scientia religionis serva male proficeret, atque ipsa religio, malo cum experientia commercio adulterata, vanæ superstitionis nomen mereri videretur.

(1) Cf. quæ Fenelo noster de infinita creandi facultate, quam Deo tribuit, in metaphysica epistola scripserit.

Etenim, si dii sunt aliquid quo nihil majus, illos, ut sapientes et immotos et constantes, omni rerum mutatione carere agnoscas. Quod si mundus non perfectus sit neque absolutus, eum dicere nequeas divinum opus, quod nullo fine includatur. Dummodo enim res attente scruteris, eas perspicias certis numeris certisque modis finitas. Est ergo in eis aliquid quod propriis legibus regitur. Mundi præcipua lex est secundum justum ordinem perpetuo mutari. Quod in hac mutatione varium fixumve sit, tibi quærendum seduloque notandum, ne infinitum cum finito, ignotosque deos cum mundo, semper ignorando, confundas.

Quum vita, quam his in terris vivimus, finita sit, et finitis rebus immixta, nihil nobis antiquius esse debet quam hujus naturæ speciem, qualis vere sit, contemplari, omnia prudenter observantibus et conferentibus, ne mundum hunc, quasi nihil esset, ad quod vere est transfugituri, citius relinquamus. Quamvis mutetur, non nos omnino fugit, certe aliquid certi et solidi continet, suis legibus et suo fato accommodatum, quod nostrum est scire et colere. Qua enim conditione beati erimus, nisi naturæ convenientes vivamus? et unde ista nobis convenientia præsto erit, nisi eam scientiæ debitam obtineamus?

Quod mire intellexit atque illustravit Lucretius, animum omni errore atque malo purgaturus. Hæc est ejus operis pars in qua imprimis ille et cæteri Epicuri discipuli cum stoicis consentiunt. Quod de utilitate scientiæ, mentem humanam vanis terroribus cupiditatibusve laborantem sanaturæ, dixit, facile sapientiæ ipsi approbare

queat. Quem ad finem attingendum, maximi est momenti distinguere res quæ ratione, et res quæ causa alia fiunt. Quæ distinctio nos, falsa Deorum reverentia liberos, sinit rerum naturam scrutari, et, qualis vere est, certis legibus submissam agnoscere. Ita justa rerum ordinis et nostræ naturæ notitia illustrati, et vera scientia quotidie magis armati, in majorem nostrummet ipsorum et rerum possessionem firmam securamque veniemus.

Ipse autem Lucretius, omnia miscens, nullum neque Deo, neque homini locum, nisi in inani relinquit. — Ad propositum finem utrum feliciter pervenerit nec ne Lucretius, nunc nobis judicandum.

Num ipse, quæ distincta voluerat, nunquam confudit, atque, nota explanaturus certioraque facturus, nunquam ad ignotum confugit; denique, scientiam humanam altioribus fundamentis conditurus, nunquam ultra quod capit humana mens penetrare tentavit?

Primum postquam negaverat ad rationem quæ in mundo fiunt esse referenda, ad ipsam materiem corporumve elementa rationem ipsam refert; postquam negaverat diis esse tribuendum quod cæcum imperfectumque mutationi perpetuæ traditur, ipse illud, quod fixum immotumque et quo nihil majus declaravit, cæcis corporibus constare putat, ut cætera dissolvendum.

Deinde, nostræ mentis cum vero commercium quo plenius certiusque demonstret, emissa e rebus vult esse simulacra, quæ nihil, ut ita dicam, menti humanæ agendum relinquant, ipsaque nobis rem cognitam imprimant. Atque, ipsas res quo melius probet non e nihilo oriri,

sed fundamento stabili et proprio stare, ad prima corpora confugit, quæ æterna esse dicit et motu æterno omnia efficere. De ipsis autem simulacris atque de primis corporibus nihil habet amplius dicendum, quippe quæ nostros sensus effugiant. Sint igitur cæca, omni forma destituta necesse est, et quæ mens non magis capiat quam ipsum inane, in quo ea esse, et per quod ea moveri, et naturam fieri, vates, inauditæ fabulæ auctor, declarat.

Rationis enim ipsius oblitus et totus ad res externas conversus, nihil certi putat, nisi quod sub sensus cadat. Itaque nullam nisi corporum scientiam agnoscit, atque ipsam rerum cognitionem, quo certiorem faciat, vult quodammodo esse corpoream. Quum autem illud fieri nequeat, quid prodest Lucretio simulacra finxisse quæ sub sensus non cadant, nisi ut res et mentem non cognosci posse fateri videatur?

Nequidquam enim ad scientiæ principium et rerum originem pervenire tentat; quippe cui, sensibus deficientibus, omnia deficiant necesse est. Tunc verba sibimet ipsis repugnantia balbutit. Et, quasi quæ religioni objecerat ipsi jam merito objici possint, eum omnia ad nihilum redigere, iterum atque iterum dicit non minus esse certa quæ oculis non videntur quam quæ videntur.

Nunc age, res quoniam docui non posse creari
De nihilo, neque item genitas ad nil revocari;
Ne qua forte tamen cœptes diffidere dicteis,
Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;

Accipe præterea quæ corpora tute necesse est
Confiteare esse in rebus, nec posse videri (1).

Quod ad confirmandum, ad multas similitudines confugit, quibus tantummodo probat quæ unum sensum fugiunt ab altero, si paululum attentus sit animus, percipi posse. Quid autem ad rem, quum de iis quæ nullo modo sensibus percipiuntur agat Lucretius, atque homini, nihil nisi sensu cognoscenti, omnia simulacra aut prima corpora omnino sunt quasi non essent.

Placet ergo testem iterum adhibere ipsum Lucretium qui corpora et inane ejusdem, imo inane majoris ad res formandas momenti esse dicit.

Omnis, ut est, igitur per se natura duabus
Constitit in rebus : nam corpora sunt, et inane,
Hæc in quo sita sunt, et qua diversa moventur.
Corpus enim per se communis dedicat esse
Sensus : quo nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quo referentes,
Confirmare animos quidquam ratione queamus.
Tum porro locus ac spatium quod inane vocamus
Si nullum foret, haudquaquam sita corpora possent
Esse, neque omnino quoquam diversa meare (2).

. . . .

Nec tamen undique corporea stipata tenentur
Omnia natura, namque est in rebus inane :
Quod tibi cognosse in multis erit utile rebus,
Nec sinet errantem dubitare e quæreret semper (3).

Quid vero ea ultima verba significant, nisi omnis

(1) Lucret., I, 266-271.
(2) Id., I, 420-429.
(3) Id., I, 330-333.

ignorantiæ remedium, omnium causarum explanationem atque rerum naturæ principium in inani inveniri? Quod autem inter inane et nihilum discrimen faciat Lucretius? Et, si res omnes per inane fieri agnoverit, quomodo audeat dicere res non e nihilo oriri? Ita a principio omne physicarum scientiarum fundamentum tollitur.

Quod si velis scire quid tibi sit de mente tua sentiendum, cujus te ipse Lucretius præcipuum respectum habere, quam te tanta rerum investigatione exercere et augere jubebat, nihil habet quod respondeat, nisi eam esse *nescio quid* quod sentit.

Etenim, quamvis agnoscat corpora prima sub sensus non cadere, nil dubium quin ea corporea natura, id est soliditate, figura et pondere, prædita profiteatur, quippe quæ aliter neque esse neque concipi possint. Quum vero, in omni rerum natura, præter corpus, quod sensibus percipitur, nihil sit nisi inane, necesse sit ut quod nullo modo corporeum concipere possumus pro inani teneamus.

Ita quam nequidquam corpoream voluit humanam mentem, et quam nulla corporea forma includere potuit, e materia erumpentem in inane immergere cogitur. Est absoluta necessitas, quam nullo modo effugere potest, ipsi sua doctrina impositam :

> . . . . . . nihil est quod possis dicere ab omni
> Corpore sejunctum secretumque esse ab inani;
> Quod quasi tertia sit numero natura reperta (1).
> ... Præter inane et corpora, tertia per se
> Nulla potest rerum in numero natura relinqui;

(1) Id., I, 431-433.

> Nec quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,
> Nec ratione animi quam quisquam possit apisci (1).

In immenso igitur rerum ordine, mens humana omnino evanescere videtur; atque in mundo, ubi materia sola omnipotens vivit et dominatur, nullus humanæ rationi locus relinquitur.

Inde sequitur ut nulla esse debeat morum scientia. Nulla enim lege teneri possit ea melior pars nostri, quæ aliquod inane est et « nominis expers ». Quæ ita destituta sensibus turpiter serviat aut naturæ dominium excutiat necesse est. Quare enim nos non sinamus ut cætera cæco motu ferri ad id, quod sensus allicit, atque illud *nescio quid* recreat, quod nostrum est? Quare, si nos res deceptos non vera voluptate donarint, rursus sensibus nostris non pareamus, nos omni re abstinere jubentibus?

Quo nihil melius, nihil amplius, nihil magis proprium vereque suum huic *nescio quid*, quod mens est humana, nos conferre jubent et natura et doctrina? Etenim, in ipsa rerum natura, quam nos edocti sumus noscere, non tantum corpora, sed, quod majus videtur, inane invenimus. Ibi nos versari decet vere nostri compotes, vera felicitate fruituros.

Quod *nescio quid* ad inane tendens, ibi jam nulla quam novimus agendi ratione corrumpendum, procul a rebus impellit nescio quæ declinatio vel libera voluntas.

Tunc nihil nobis apparet nisi inane, quod undique patet infinitum, immensum; atque ibi, una parte, qui toti sunt inane, homines et dii, et parte altera, qui corpori-

(1) Id., I, 446-449.

bus miscetur, mundus. Nequidquam quæ confundere visus erat distinguere iterum conatur; sed quibus in tenebris, quis nullæ densiores excogitari possunt, quis omnino obruta mens et vita humanæ sepeliuntur!

Itaque Lucretii doctrina, quos voluerat scientia armatos atque omnibus miseriis liberatos, homines in magnum de omni re dubitandi et semet ipsos perdendi periculum inducit. Nempe eos, pulchra spe ad rectam claramque viam allectos, si longius ire non dubitent, in obscuras et infinitas regiones penetrare jubet, ubi æternum avii errent, similes iis corporibus quæ magnum

> ... per inane vagantur,
> Conciliis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam
> Consociare etiam motus potuere recepta (1).

(1) Id., II, 108-110.

CONCLUSIO

Quod Seneca de Zenonis stoicorumque doctrina dicit, eam non colligendam et excerpendam, sed totam esse sumendam, non de Epicuri Lucretiique doctrina pariter dici potest. Sunt enim multa quæ ad morum rerumque scientiam utilissima ab Epicuro mutueris; sunt autem plura quæ moribus veræque rerum scientiæ infensissima repudiare debeas.

Ea enim sors fuit epicureæ doctrinæ, ut contraria contineret, philosophiæque partes vicissim defenderet atque aggrederetur.

Primum enim contra ignorantiam religionemque, ignorantia ortam, invecta est, quasi rerum omnium certam rationem reddítura.

Deinde autem ad ea quæ scire nefas tam imprudenter confugit, ut rationem omni virtute privatam, et ad nihilum redactam, silere jusserit.

Etenim, postquam animum diligenter curandum præscripserit, quo melius, omni errore omnique malo liberatus, sanitati redderetur, certius promptiusque judicasse videtur omnem infortunii nostri fontem exhaurire, atque rationem, quæ nos toties decepisset, non jam nobis nocituram, omnino abolere.

Sic quidquid, miro scientiæ rationisque amore incen-

sus, proclamat Lucretius, nos tantum admonet a qua altitudine ipse sit casurus.

Quia principio cum stoicis consenserat, ab iis mox tam longe discedit ut finem oppositum attingat. Dum stoici, sibimet ipsis concordes, dicunt nihil majus esse ratione, in ea sita esse nostram vim, nostram spem, nostrumque bonum, omnem miseriarum finem atque vitæ dignitatem, humanæ communitatis verique cum ipsis diis commercii principium, denique unum et firmum vinculum quo omnia divina, humana terrestriaque cohærent, Epicurus atque Lucretius contra dicunt nihil esse boni in ratione, nisi quod nos doceat ipsam, ut omnia, exuere, ab omni hominum societate, ab omnibus rebus, a diis atque a nostra natura æternum separandos, atque per inane immota tranquillitate et vacua solitudine immergendos.

Dum stoici nos jubent omnia ratione amplecti et virtute tolerare, nosmet ipsos in vita viriliter agenda includere, atque non nobis, sed civibus et toti mundo et diis inservire, nos invitare Lucretius videtur ut omnia contemnamus atque omittamus, vitæ finem molliter et soluti expectemus, denique neque deorum, neque mundi, neque rerum humanarum, sed nostræ solius voluptatis utilitatisque respectum habeamus. Nempe, postquam scientiæ et felicitatis fontem dixerat physicas scientias a moralibus sejungi, atque rerum Deique naturam separatim cognosci, ipse morales scientias physicis immersas omnino perdit, nosque in regiones externas præcipitat, ratione destitutos atque a nobismet ipsis alienos.

Quid igitur mirum quod apud Romanos, ætate Lucretii, in tanta morum corruptione atque omnium rerum ignorantia, plerique ad eam doctrinam sese tulerint quæ non rationem extollebat animosque ad fortia erigi jubebat, sed nihil nisi omni re abstinere et cæcam sequi voluntatem præscribere videbatur! Plerique jam pro certo habebant solis sensibus esse fidem adhibendam, soli voluptati indulgendum, et non divina civiliaque bona, sed privata, quæ ipsi vere sentirent, esse requirenda. Quo magis civilibus bellis tunc Romani laborabant, aliena fata inviti sequentes, eo magis pacem qua ipsi fruerentur desiderabant. Et quo magis præsentia tempora omni sperata felicitate frustratos eos relinquebant, eo magis cæco mentis ardore ad nescio quid novum, inauditum, toti ferebantur, quod inexpletas eorum cupiditates tandem satiaret, et singulos pro merito suo, vel potius pro miseriis suis, ignota optataque felicitate æternum donaret. Deniquefere omnes cæca voluntas, e vita nimium externis communibusque miseriis exercita, ad quietem morti simillimam, et ad aliquod vacuum et inane cujus dulci conscientia sese fruituros fingebant, declinare jubebat.

Romanorum igitur animos, malis publicis et privatis vitiis oppressos, ita facile ad se convertit atque excepit Epicuri doctrina, ut minus eis præire quam eos sequi visa sit. Quam doctrinam, ipsorum imbecillitati mire accommodatam, nulliusque virtutis magistram, amplexi sunt, relinquentes stoicam doctrinam paucis iis viris quibus antiqua publicæ libertatis exempla æter-

naque philosophiæ præcepta renovanda erant, et posteris servanda.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisorum, in Sorbona, ipsis Kal. aug. anno MDCCCLVII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J. VICT. LE CLERC.

INDEX

7691 — Paris, Imprimerie Guiraudet et Jouaust, rue Saint-Honoré, 338.